



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

vers. 14.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

salutationes ἀποστόλους, Syriace שלמה pacem; eo enim verbo salutabant. Ambitio autem in salutationibus præcipua cernebatur, ut priores tanquam digniores suis titulis appellarentur.

Denique vocari auebant ab hominibus Rabbi. In Græco duplicatur. Rabbi, Rabbi, quâ in re salutantis affectus, & bona æstimatio ostendebatur. Syrus, uti nec vulgata versio, non geminat.

Quod nonnulli obseruauerunt titulum Rabbi dari, qui in Academijs Babylonij magisteriū adepti sunt, Rabbi autem eos, qui in Israël per manus impositionem sapientes declarati sunt. Deniq; רבבין Rabbenin sapientes de domo David, mihi triuola distinctio visa est. Nam Rabbi est magister mō, estq; affixum ἱεροποιῶν seu blandientis. Rabbenin autem cum sit numeralis, non recte accommodatur singulis, uti titulus conueniens. Indifferenter itaq; usurpant, nomen Rab, & Rabbi.

§. 5. Beza iniuriâ conuictatur Ecclesiæ doctoribus, cum ait: nullâ eos re magis affici, quam cum saluantur Domini magistri nostri: εὐχ, Pharisei successisse. Bullingerus etiam queritur, Laborari à quibusdam suorum, ut in eorum Ecclesijs titulos Doctoratus restituant. De facto Carostadij aliorumq; satis constat. Equidem inficiari non auesim, ut sunt hominum ad fastum propensa ingenia, in mediâ Ecclesiâ non sine grauissimo illius damno ambitionem residere: graniorem in illis tamen fuisse, qui per superbiam Ecclesiâ exciderunt. Non tamen doctrinæ est illud, aut religionis sed humanæ corruptionis vitium: nec omnes tales sunt apud nos, nec plures, verum apud hæreticos nemo non talis est. Apud nos aliqui sunt mali, apud illos nulli sunt boni.

Porro tres titulos Christus prohibet. Nempe Rabbi, quod Græcus & noster retinuerunt, magnum enim, & magistrum significat, ab eo diuersum est רבבין Medaranne, quod Græcus vertit καθήγητης, dux, ductor, magister, quod etiam in quibusdam exemplaribus legitur, cum de Christo sermo est, διδάσκαλος. Porro Syrum רבבין est loqui, tollere, præesse. Deniq; nomen patris etiam vetat.

Patrem, inquit, nolite vocare super terram, in plerisq; Græcis est, atq; etiâ Syro, ὁ πατήρ, vestrum. Sic Rabbinos atate prouectiores honoris causa appellabant. Non prohibemur autem magistratui, aut parentibus honorem legitimum deferre, sed titulos ambiciose vel sectari, vel alijs tribuere. Vnus est enim pater Deus, & magister Christus; Chrysostomus vna dictione exponit. Καὶ δὲ εἰς διδασκαλὸν οὐκ ἔστιν διδασκαλὸς ὁ θεὸς ἡμεῖς, quem a modo d. m. magister, non est magister principaliter. Nunquam enim quicquam est tribuendum hominibus, quo Dei gloria obscuretur. In his creaturæ nō tribuitur diuinus honor, cum Deo seruatur principatus.

VERSUS 13.

Va autem vobis scribe, & Pharisei hypocrita, qui clauditis.

QUESTIO I.

Quomodo claudant regnum cælorum?

§. 1. **G**rauiissimum procul dubio delictum, quod Cum Doctores essent, quorum officium eundem aperire regnū cælorum, nunc nec ingreditur, nec alios in limine hærentes intrare sinunt. Claudunt autem veritatem oppugnando, falsam doctrinam proponendo: iam enim conspirauerant Ioan. 9. ne quis Christum confiteretur. ita D. Thom. Tostat. Euthym. Claudebant & suis traditionibus contra Dei legem intrusis, vocabant autem סגלתהוּרָה sig. lesborā, legi sepimentum, quod illis seruatis legem violari nō facile esset. Zuinglius etiam hoc loco conuictio abfit.

nere nequit: In Papatu doceri homines, ait simulare: cum nihil magis quam simulatores detestemur.

VERSUS 14.

Va vobis scribe & Pharisei hypocrita: quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes: propter hoc amplius accipietis iudiciū.

QUESTIO I.

Quomodo deuorent domos viduarum?

§. 1. **H**ic versus ab Eusebio, & Origene videtur omissus, in alijs exemplaribus est transpositus. vide annotationes Lucæ Brugens. Duplex porro crimen, ut monet Chrysostomus, committebant. Viduarum domos expilabant, & hoc quidem specie pietatis, πῶς μὲν αἱ, inquit Chrysost. ημετέρας οὐ κακὸν ποιοῦν, ὁ δὲ καὶ τὴν αἰτίαν ἀπὸ εὐλαβείας λαμβάνων, καὶ προσεχόμεναι τῶν ἡμετέρων τῆς πονηρίας, πολλὰ χαλεπωτέρας καλῶσιν, ὡς ὑπερδυν. Omnia qui malum agit, pœna dignus est, qui vero causam à pietate sumit, & hac pro prætextu vitur, multo acrioris ultionis est reus. Hoc faciebant scribe, & Pharisei; nam viduas opinione sanctitatis deceptas spoliabant. προσέειπε μακάρι οἱ προσευχόμενοι, prætextum longum orantes, noster videtur legisse, προσευχὴν μακράν, προσευχόμενοι vel προσευχάς μακράς, orationes longas orantes. Quod in Græco ponitur καὶ, &, sensus est, Comeditis domos viduarum, & quidem orando, hoc est, simulando longas orationes. Viduas autem prædæ habebant præcipuè, quod illæ pietati addictiores essent, & rerum suarum dominæ. Quidam etiam existimant peccandi impunitatem ab his impostoribus illis promissam. Zuinglius multa Catholicis exprobrat, quasi precibus, & cantu viduas expolient, cum hætenus viduas alere soleat Ecclesiâ, & illi qui in officio Ecclesiastico primatum tenent, sua ipsi patrimonia pauperibus, & viduis legarint. Hæreticorum est, mulierculas oneratas peccatis in fraudem inducere.

VERSUS 15.

Va vobis scribe & Pharisei hypocrita, quia circuitis mare & aridam, ut faciatis unum proselytum: & cum fuerit factus facitis eum duplo filium gehennæ.

QUESTIO I.

Quomodo proselytos facerent duplo filios gehennæ?

§. 1. **M**are circumeunt & aridam: hoc est, terram quam Deus aquis eminere iussit. Græci ἐν-Αριδα: γὰρ vocant, sed dialectus est ex Hebræo. Vocant enim terram ארצה Ierusalem. Hanc etiam dictionem hic Syrus usurpat, nisi quod mote gentis in fine non sed collocet. Latini imitati sunt. Exilit in sicum. Rostrat nem sicum. Proselytos quasi aduentitios, aut accessorios nominabant. Et si quidem bono zelo animas lucranti tantos itinerum labores suscepissent, supra modum laudabilis eorum esset industria: verum tam operosis conatibus non Dei gloriam, vel animarum salutem quæsitam esse euentus docuit. Non enim ad Cur in proselytum conuersos cælo afferabant, sed duplo faciebant filios gehennæ. Cur igitur tantos labores rarent, subibant? Primum gloriæ, deinde auaritiæ causâ, conuersionem enim gentium superbe iactabant, & victimas; decimasq; templo inferebant.